



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

706. An, supposito jure simultaneè conferendi, capitulum conferre possit in absentia Episcopi, illo non exspectato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Questio 705. Quid potestatis habeat Capitulum circa conferendos Canonicatus Doctorales vel Magistrales, quibus annexum est onus Lectionis vel aliud?

1. **R**espondeo primò: supponi debere, decretum in Concil. Lateran. sub Innoc. III. ut quælibet Cathedralis Magistro, qui ejusdem Ecclesie Clericos aliòsque scholares pauperes gratis institueret, aliòd competens beneficium provideret. Item quoque decretum, ut in aliis Ecclesiis Collegiatis constitueretur Magister idoneus à Prælato cum Capitulo eligendus, qui Clericos earum aliòsque instrueret in Grammatica. Item, ut quælibet Metropolitana præterea Theologum constitueret, qui Sacerdotes illius aliòsque doceret sacras literas, & ea præsertim, quæ ad curam animarum spectant. Insuper statutum in dicto Concilio, ut cuilibet istorum Magistrorum à Capitulo unius præbendæ proventus assignentur, & tantundem Theologo à Metropolitana (per quod tamen Theologus ille, uti & ceteri illi Magistri non efficiuntur Canonici, sed tamdiu reditus percipiunt, quamdiu perstiterint in docendo) & si forè Metropolitana nimium gravetur, providendo nimirum Theologo & Grammatico, permittitur ei, ut Grammatico in alia suæ diocesis aut civitatis Ecclesia, quæ sufficere valeat, provideri faciat. Lott. cit. q. 21. num. 127. Unde jam interim, dum expectatur vacatio præbendæ pro tali Magistro vel Theologo, singulos Canonicos teneri in causam ejus mercedis contribuere de singulis suis præbendis, si reditus supersint, ait Lott. num. 130. ex Hostienf. in c. quia nonnullis. de Magistris. num. 10. Jo. Aud. ibid. n. 11. Anchar. n. 5. quamvis num. 131. subdat, id intelligendum potius de honestate, quam ex dispositione cit. can. quia nonnullis, si neque ante vacationem nolint, hujusmodi Magistrum habere; citat pro hoc Abb. Jo. de Anania in cit. cap. Unde jam Trid. sess. 25. cap. 1. mandat illi Magistro Grammatices, aut assignari beneficium, aut persolvi mercedem, vel ex capitulari vel Episcopali mensa condignam, vel aliàs per Episcopum rationem aliquam iniri. Lott. num. 131. Quapropter factum, ut munia hæc consueverint demandari ipsismet Capitularibus, unde prodierunt Scholasteria, Canonicatus Doctorales, & Theologales, & ex dispositione Trid. sess. 24. c. 3. Canonicatus penitentiarii. Vide de his fufius agentem Garc. p. 5. c. 4. à n. 100. His suppositis,

2. Respondeo secundò: hi Canonicatus Doctorales, Theologales, lectorales, penitentiarii, præscindendo à consuetudine, aut singulari jure, non providentur simultaneè per Episcopum & Capitulum, sed Episcopus eligit personam, præbenda autem confertur per eum vel eos, per quem vel per quos ea antea conferebatur. Lott. num. 132. Garc. p. 5. c. 4. à nu. 137. & 145. Neque tam illud onus docendi, legendi, penitentiarii &c. ab Episcopo demandatur personæ, quam annectitur eidem præbendæ. Lott. num. 133. ex Host. nihilominus esse locum simultaneæ collationi respectu Scholasticæ, seu Magistri Grammatices, juxta textum cit. c. quia nonnullis, ex Butrio ibid. n. 4.

& Jo. Andr. num. 5. ait

Lott. num. 34.

* *

Questio 706. An, supposito jure simultaneè conferendi, Capitulum conferre possit in absentia Episcopi, illo non expectato?

Respondere videtur affirmativè (nempe dum Episcopus absens non tam citò reverteatur) Lott. l. 2. q. 21. n. 37. citans c. unico. ne sede vac. in 6. & Rot. in Placent. Canon. 26. Febr. 1596. in terminis Episcopi absentis, & degenris in Curia Romana. Contrarium tamen tenet Garc. p. 5. cap. 4. num. 49. vultque textum illum cit. c. unico. intelligendum non quando collatio spectat ad Episcopum, & Capitulum, vel quando quis habet conferre cum consensu Episcopi; sed quando quis habet conferre cum consilio tantum Episcopi.

Questio 707. Cum frequenter, ut dictum sepe in antecedentibus, ex consuetudine collatio Præbendarum ac Dignitatum Ecclesie Cathedr. & Collegiatarum spectet ad solum Episcopum, vel ad solum Capitulum, qualis debeat esse ea consuetudo?

1. **R**espondeo primò: non videri hanc esse propriè consuetudinem, nisi largè, & abusive solum; sed potius dicendam esse præscriptionem, cum juri detrahat, & alteri acquirat; tunc autem propriè dicendam consuetudinem, si ita generaliter & universaliter servaretur in aliqua provincia, ita ut faceret jus commune respectu talis provincie. Garc. p. 5. c. 4. n. 73. & 24. citans Abb. in c. cum Ecclesia Vultur. num. 6. Jo. Andr. & alios ibid. Aymon. de antiq. temporis. p. 4. differ. 7. à num. 21. Corneum cons. 268. lib. 4. Put. decis. 387. lib. 2. à num. 4. &c.

2. Respondeo secundò: cum circa provisionem dictarum Præbendarum & Dignitatum variaz sint sententiæ DD. adeò que non sit jus expressum, sufficit hanc consuetudinem seu præscriptionem esse quadragenariam sine titulo; nam licet sit contra communem opinionem, non est tamen adhuc contra jus: ut enim consuetudo sit contra jus, ut dicitur in Hispal. juris nominandi. 10. Octobr. & 7. Novembr. 1583. necesse est, ostendere legem claram, vel rationem expressam in lege, ex qua ita sit decidendum. Garc. num. 57. citans Plur. decis. 241. l. 3. num. 4. Achill. decis. 140. & Rotam. Item non est adhuc contra jus ex eo, quòd sit contra plures Rotæ decisiones; hæ enim non faciunt jus. Garc. n. 77. citans quamplurimos, uti nec ex eo adhuc absolute dici debet esse contra jus, quòd frequenter juxta dictas Rotæ decisiones sit judicatum, ita ut sit introductus stylus Rotæ. Garc. nu. 78. citans Pavinum in prælatud. Extravag. Mascard. de prob. concl. 485. & Rotam. Licet autem ex eo, quòd opiniones sint diversæ, & non sit jus expressum, consuetudo & observantia approbans & recipiens aliquam ex dictis opinionibus sit interpretativa, (quæ alias non requirit aliquam temporis præscriptionem, etsi sit contra communem, & veriorum opinionem, ut Abb. in c. vñm dilectus. de consuetud. n. 7. Roch. de consuetud. sect. 5. n. 5. Mantie. de consuet. l. 8. lit. 18. n. 34. &c. apud Garc. n. 80. vel quæ saltem non requirit ultra decennium, ut Gutt. præf. 99. l. 3. q. 62. n. 26. Molin. de primogen. l. 2. c. 6. num. 57. apud eundem Garc. n. 81.) quia tamen agitur de auferendo jure communi, quòd habet quis juxta communem & veriorum, & dando illud alteri, requiritur præscriptio

40. an-